



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Actæon.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A** Rivola vero mihi videtur Anaximenis interpretatio super Actæonis fabula, de qua superius mentionem fecimus, qui conversus ideo dicitur in Cervum, & à canibus suis dilaceratus, quod periculis, quæ venando subierat demum consideratis, ætate jam ingravescente timidior factus, in cervum transformari sit visus: cumque Canes nihilo fecius aleret patrimonium consumpsisse, idque à Canibus laceratum esse significare, potius historia, non fabulæ cujusquam figmentum, invento huic dederit argumentum. Actæonem enim & Cippum cornutos editos, Plinius auctor est. Quin apud Max. Tyrium legas, apud Corinthios, Bacchiadarum facinus in Actæone Dorico adolescente discerpendo admittum, Bœotio illi assimilatum, in quo Actæon à veris est Canibus laceratus. Quod vero Homerus ait, Diana per juga montium errantem gaudere telis, & Capreis, ac fugacibus Cervis delectari, sunt qui ad Actæonis fabulam convertant: sunt qui vetustam Philosophiam secuti, sagittas eas, quæ Cervum assequuntur, hieroglyphice solares radios indicare velint, quorum scilicet repercussu, cornua ipsa pro loci, ubi Luna est, conditione, & appareant, & obducantur. Nam & Lucretius tela hæc ita interpretatur:



Plin lib. ar. 1.37.

Lib. 1. De nat. rer.

*Non radii Solis, neque lucida tela diei.*

Dianam autem Capreis & Cervis tantum gaudere, Homerus, dicit, Leonibus autem minime: nempe quia circa Taygeta aut Erymanthum eam venari dicit, ubi Leones non habentur. Elei sane Dianam *ἑλαφίσια* vocant, ut apud Pausaniam est, quamvis aliter alii nomen interpretantur. Videas tamen passim Dianæ simulacro Cervum ut plurimum in venatum obijci, qualem præcipue speciem in Hadriani numo cernere est, cum inscriptione, *ΑΡΤΕΜΙΣ ΕΦΕΣΙΑ*. In aliis quoque ejusdem Hadriani Dianæ itidem Ephesæ simulacrum geminis duum Cervorum inter se averforum clunibus insidere conspicias, atque aliter in aliis. Et Cerva est in multis Galieni numis cum inscriptione, *DIANÆ CONS. AUG.* Ea enim ambitione fuit, ingenio vir alioquin impurissimo, ut Deos omnes ad sui custodiam & conservationem occupatos esse jactaret. Hinc feras fere omnes, quotquot numinibus dicavit antiquitas, numis suis eadem inscriptione cudendas curavit: quorum vis magna paucis ante annis in agro Bellunensi reperta est. Neque tamen Dianæ tantum, verum etiam Milanioni, & Atalantæ heroibus Cervus dedicabatur, quorum simulachra cum hinnulo in Olympia fuisse Pausanias testatur. Quod vero ajunt Iphigeniam cum jamjam ad aras patris jussu mactanda constitisset, in Cervam demutatam, ac ipsius Dianæ numine in Tauricam regionem asportatam, Nicander in Taurum ait, Phœdinus in Ursam, atque ita omnia variant in Græcorum fabulis, à quibus longe diversa leguntur apud Lycophronem & ejus interpretes.

VIVACITAS. CAP. XV.

**D** Vivacitatem ex picto Cervo significari, quod Ægyptiorum commentum est, magis exploratum arbitror quam ulla sit opus commentatione perquirere. Datum enim illi est à natura, ut quam diutissime vivat. Verum cum id sacerdotibus ostendere volebant, cornua maxime ramosa faciebant, siquidem unoquoque anno ramus horum cornibus adjicitur: sed ut nonnulli observarunt, non ultra sex annos ab eo tempore similia reviviscere, neque atatem in dediscerni posse, sed ex dentibus, quos tunc cum grandævus est, aut paucos, aut nullos habeat. Sedenim experimento compertum est, cornua senescentium asperiora quotannis fieri enormioraque, pluribusque tuberculis & mucronibus horrida, quo magis in senium vergant. Animadvertendum autem in manuscriptis Hori condictibus antiquis, *πελοργόνα σμαίνι* scriptum, non *πελοργόνιον* ut in impressis habetur, quod *multa tempora*, interpretandū esset. Sed parvi hoc momenti. Agathoclea Syracusanorum tyrannum ferunt

*Cervi atav unde di. gnoscatur. Auctor Alianus, nec ab simile exemplum in Chronico Franco- rum tempore Caroli septimi.*